SELECTA EX LATINIS SCRIPTORIBVS

IN VSVM SCHOLARVM

Persius

A. PERSII FLACCI

SATYRAE I ET III

D. IVNII IVVENALIS

SATYRAE XI ET XIV

Cent. 40

AVGVSTAE.TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXIX.

OPERE LATINE

DI TOMMASO VALLAURI

THOMAE VALLAVRII Historia Critica litterarum latinarum; accedit πάρεργον aliquot monumentorum latini sermonis vetustioris; *editio septima* . . . . L. 1 50

— Orationes habitae in auditorio maximo R. Athenaei Taurinensis, ab anno MDCCCXLII ad annum MDCCCLV; *editio quarta*. . . . . » 1 00

— Latinae exercitationes, grammaticae et rhetoricae studiosis propositae, *editio quarta* . . . . » 0 80

— Epitome historiae patriae, accedit lexicon latino-italicum; *editio quarta* . . . . » 0 70

— Epitome historiae graecae, accedit lexicon latino-italicum; *editio quarta* . . . . » 0 80

— Epitome historiae romanae ab urbe condita ad Odoacrem; accedit lexicon latino-italicum; *editio altera* » 1 20

— M. Attii Plauti Trinumus: ad recentiores editiones exegit, animadversionibus auxit et scholasticis praelectionibus accomodavit Thomas Vallaurius; *editio altera* . . . . » 0 50

— M. Attii Plauti Aulularia: ad recentiores editiones exegit, animadversionibus auxit et scholasticis praelectionibus accomodavit Thomas Vallaurius; *editio altera* . . . . » 0 50

— Ausonii Popmae Frisii de differentiis verborum, cum additamentis Ioannis Friderici Hekelii, Adami Danielis Richeri, Ioannis Christiani Messerschmidii et Thomae Vallaurii qui opus diligentissime retractavit; *editio altera* . . . . » 1 50

— Inscriptiones: accedunt epistolae duae de re epigraphica, et Osvaldi Berrinii appendix de stilo inscriptionum ex operibus Stephani Antonii Morcelli deprompta; *editio tertia* . . . . » 2 50

-0

A. PERSII FLACCI

SATYRAE I ET III

D. IVNII IVVENALIS

SATYRAE XI ET XIV

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXIX.

Duas mî PERSII satyras edere
Pariter in animo et IVVENALIS fuit.
Et si tibi breviter praefari velim,
Ut ita poëtarum naturam habeas,
Ecquisnam vetet, versibus senariis?
Grandi procedit ille supercilio
Personam rigidi magistri sustinens,
Qui vitium vexat, tundit et persequitur
Verbis saepissime sesquipedalibus.
Hic oratoris, e contrario, more
Insurgit gravis; imitatus Tullium,
Suos ut perditos Romanos doceat,
Olim virtutibus clariores undique.
Haud ita semper poëtarum animum,
Studiosorum nimis, potes assequi,
Faciliores desiderabis imo;
At inclamant ipsi cunctis legentibus:
OH TU QUI DUCTUS SAPIENTIA LEGIS,
ASPICE MIRAM DOCTRINAM CONDITAM

Sub obscuris versuum involucris.
Nullus peccator liber est a carmine,
Fortasse tute laudans quod miraberis.
Oblitam mordent matronam officii,
Ducem nunc gloriosum lancinant libere,
Annos qui numerat suos a cladibus,
Incedit et superbus in foro tamen.
Eo corruptionis orbis pervenerat,
Ut ipsum adgredi nec Neronem dubitent,
Mirum quod certe iudicabunt posteri.
At alios monent dum officium suum
Poëtae sanctum ipsi munus negligunt.
Enim si praedicant castitatem civibus,
Maxime quo iure laudantur veteres,
Ipsos tu poteris dicere foedissimos.
Hinc ego credam me gessisse rectius
Forent quae foediora cunctorum auribus,
Ne dicar ipse, quod damnavi, facere,
Pio si quodam volverem velamine,
Meorum tollerem lectorum oculis.
Tamen libertate usus hac sum parcius.
E desiderio cuncta tuo fluant.

J. B. Francesia.

A. PERSII FLACCI

SATYRA I

« O curas hominum ! o quantum est in rebus inane !
Quis leget haec? » Min' tu istud ais? « Nemo hercule. » Nemo?
« Vel duo, vel nemo : turpe et miserabile. » Quare ?
Ne mihi Polydamas et Troïades Labeonem
Praetulerint ? nugae. Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa
Castiges trutina : nec te quaesiveris extra.
Nam Romae quis non ? ah, si fas dicere ! sed fas
Tunc, cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Aspexi, et nucibus facimus quaecumque relictis;
Cum sapimus patruos : tunc, tunc, ignoscite. « Nolo. »
Quid faciam ? sed sum petulanti splene cachinno.
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet.
Scilicet haec populo, pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche albus
Sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile conlueris, patranti fractus ocello.
Hic neque more probo videas neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas ?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus : ohe ?
« Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus

Innata est, rupto iecore exierit caprificus ? »
En pallor seniumque ! O mores ! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter ?
« At pulcrum est digito monstrari, et dicier : Hic est !
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas ? » Ecce inter pocula quaerunt
Romulidae saturi, quid dia poëmata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina laena est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat, et tenero supplantat verba palato.
Assensere viri : nunc non cinis ille poëtae
Felix ? non levior cippus nunc imprimit ossa ?
Laudant convivae : nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violae ? Rides, ait, et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse ? et, cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus ?
Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando haec rara avis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam : neque enim mihi cornea fibra est :
Sed recti finemque extremumque esse recuso.
« Euge »tuum et «Belle.» Nam Belle hoc excute totum :
Quid non intus habet ? non hic est Ilias Accî
Ebria veratro ? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres ? non quidquid denique lectis
Scribitur in citreis ? Calidum scis ponere sumen :
Scis comitem horridulum trita donare lacerna :
Et, Verum, inquis, amo : verum mihi dicite de me.
Qui pote ? vis dicam ? nugaris, cum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
O Iane ! a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis altas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Appula, tantum !
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae occurrite sannae.
Quis populi sermo est ? quis enim ? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos

Effundat iunctura ungues. Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poëtae.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos graece, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia foeno;
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quinti,
Cum trepida ante boves dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. Euge poëta!
Est nunc, Briseis quem venosus liber Accî,
Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, *aerumnis cor lectificabile fulta.*
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire: *Decenter*?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis: doctas posuisse figuras
Laudatur: bellum hoc. Hoc bellum? an, Romule, ceves?
Men' moveat? quippe et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes. Verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
Sed numeris decor est, et iunctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit: *Berecynthius Attin*;
Et: *Qui caeruleum dirimebat Nerea delphin.*
Sic: *costam longo subduximus Apennino.*
Arma virum, nonne hoc spumosum et cortice pingui,
Ut ramale vetus praegrandi subere coctum?
Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis;
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris: et, *lyncem Maenas flexura corymbis,*
Evion ingeminat; reparabilis adsonat Echo.
Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva

Hoc natat in labris, et in udo est Maenas et Attin :
Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues.
« Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas ? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant : sonat hic de nare canina
Litera. » Per me equidem sint omnia protinus alba ;
Nil moror. Euge ! omnes, omnes bene mirae eritis res ;
Hoc iuvat. Hic, iniquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues : pueri, sacer est locus ; extra
Meiite. Discedo. Secuit Lucilius urbem,
Te, Lupe, te, Muci ; et genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? « Nusquam.»
Hic tamen infodiam : vidi, vidi ipse, libelle ;
Auriculas asini Mida rex habet. Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci, quicumque, afflate Cratino,
Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
Adspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure :
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui poscit dicere : lusce,
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Aretî aedilis iniquas ;
Nec qui abaco numeros, et secto in pulvere metas,
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoën do.

SATYRA III.

Nempe hoc adsidue ? iam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis ? siccas insana Canicula messes
Iam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est ;
Unus ait comitum. « Verumne ? itane ? ocius adsit
Huc aliquis ! nemon' ? » Turgescit vitrea bilis :
Finditur : Arcadiae pecuaria rudere credas.
Iam liber, et bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartae nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor ;
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha ;
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.
O miser, inque dies ultra miser ! huccine rerum
Venimus ? At cur non potius, teneroque palumbo
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammae lallare recusas ?
« An tali studeam calamo ? » Cui verba ? quid istas
Succinis ambages ? Tibi luditur : effluis amens :
Contemnere. Sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus, et acri

Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,
(Quid metuas?) cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi...
Non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa: nescit, quid perdat; et, alto
Demersus, summa non rursus bullit in unda.
  Magne pater Divum, saevos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno;
Virtutem videant, intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci,
Aut magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, *imus,*
Imus praecipites, quam si sibi dicat, et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
  Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere, non sano multum laudanda magistro,
Quae pater adductis sudans audiret amicis:
Iure: etenim id summum, quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto; damnosa canicula quantum
Raderet; angustae collo non fallier orcae;
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
  Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quaeque docet sapiens braccatis illita Medis
Porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta:
Et tibi, quae Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?
Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
  Helleborum frustra, cum iam cutis aegra tumebit,

Poscentes videas : venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes ?
Discite, io, miseri, et causas cognoscite rerum !
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur : ordo
Quis datus, aut metae quam mollis flexus, et unde :
Quis modus argento : quid fas optare : quid asper
Utile nummus habet : patriae carisque propinquis
Quantum elargiri deceat : quem te Deus esse
Iussit, et humana qua parte locatus es in re ;
Disce : nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, et pernae, Marsi monimenta clientis,
Maenaque quod prima nondum defecerit orca.
  Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat : Quod satis est, sapio mihi : non ego curo
Esse, quod Arcesilas aerumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram,
Murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes somnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles ? cur quis non prandeat, hoc est ?
His populus ridet : multumque torosa iuventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
  Inspice : nescio quid trepidat mihi pectus, et aegris
Faucibus exsuperat gravis halitus : inspice, sodes,
Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De maiore domo modice sitiente lagena,
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
Heus, bone, tu palles. « Nihil est. » Videas tamen istud,
Quicquid id est : surgit tacite tibi lutea pellis.
  « At tu deterius palles : ne sis mihi tutor :
Iam pridem hunc sepelî : tu restas. » Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mephites :
Sed tremor inter vina subit, calidumque triental
Excutit e manibus : dentes crepuere retecti :
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelae : tandemque beatulus alto

Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit : at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
« Tange miser venas, et pone in pectore dextram :
Nil calet hic : summosque pedes attinge manusqne :
Non frigent. » Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit ? Positum est algente camino
Durum olus, et populi cribro decussa farina :
Tentemus fauces : tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excussit membris tremor albus aristas ;
Nunc face supposita fervescit sanguis, et ira
Scintillant oculi : dicisque facisque, quod ipse,
Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

D. IVNII IVVENALIS

SATYRA XI.

Atticus eximie si coenat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens. Quid enim maiore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius? Omnis
Convictus, thermae, stationes, omne theatrum
De Rutilo. Nam dum valida ac iuvenilia membra
Sufficiunt galeae, dumque ardent sanguine, fertur,
Non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno,
Scripturus leges, et regia verba lanistae.
Multos porro vides, quos saepe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet expectare macelli,
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregius coenat, meliusque miserrimus horum,
Et cito casurus iam perlucente ruina.
Interea gustus elementa per omnia quaerunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus. Interius si
Attendas, magis illa iuvant, quae pluris emuntur.
Ergo haud difficile est, perituram arcessere summam
Lancibus oppositis vel matris imagine fracta,
Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile: sic veniunt ad miscellanea ludî.
Refert ergo, quis haec eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria est; in Ventidio laudabile nomen
Sumit, et a censu famam trahit. Illum ego iure
Despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus: hic tamen idem

Ignoret, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus. E coelo descendit Γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum, et memori tractandum pectore, sive
Coniugium quaeras, vel sacri in parte senatus
Esse velis. Nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se transducebat Ulixes.
Ancipitem seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas, te consule; dic tibi, qui sis,
Orator vehemens, an Curtius et Matho buccae.
Noscenda est mensura sui, spectandaque rebus
In summis minimisque, etiam cum piscis emetur,
Ne mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis. Quis enim te, deficiente crumena,
Et crescente gula, manet exitus; aere paterno,
Ac rebus mersis in ventrem, fenoris atque
Argenti gravis et pecorum, agrorumque capacem?
Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, et digito mendicat Pollio nudo.
Non praematuri cineres, nec funus acerbum
Luxuriae; sed morte magis metuenda senectus.
Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romae,
Et coram dominis consumitur: inde ubi paulum,
Nescio quid, superest, et pallet fenoris auctor,
Qui vertere solum, Baias, et ad ostrea currunt.
Cedere namque foro iam non est deterius, quam
Esquilias a ferventi migrare Subura.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Moestitia est, caruisse anno Circensibus uno.
Sanguinis in facie non haeret gutta: morantur
Pauci ridiculum effugientem ex Urbe pudorem.
  Experiere hodie, numquid pulcherrima dictu,
Persice, non praestem vita, vel moribus, et re;
Sed laudem siliquas occultus ganeo; pultes
Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.
Nam cum sis conviva mihi promissus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hospes, et ipse tamen contingens sanguine coelum:
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro

Haedulus, et toto grege mollior, inscius herbae,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quam sanguinis; et montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.
Grandia praeterea, tortoque calentia foeno
Ova adsunt ipsis cum matribus, et servatae
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvae:
Signinum Syriumque pyrum, de corbibus îsdem
Aemula Picenis, et odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Auctumnum, et crudi posuere pericula succi.
Haec olim nostri iam luxuriosa senatus
Coena fuit. Curius, parvo quae legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula: quae nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor,
Qui meminit, calidae sapiat quid vulva popinae.
Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis, titulo ter consulis, atque
Castrorum imperiis, et dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem.
Quum tremerent autem Fabios, durumque Catonem,
Et Scauros, et Fabricios, postremo severos
Censoris mores etiam collega timeret;
Nemo inter curas et seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret;
Clarum Troiugenis factura, ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere, et parvis frons aerea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex.
Tunc rudis, et graias mirari nescius artes,
Urbibus eversis praedarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, caelataque cassis
Romuleae simulacra ferae mansuescere iussae
Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos,

Ac nudam effigiem clypeo venientis, et hasta,
Pendentisque dei, perituro ostenderet hosti.
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tusco farrata catino
Omnia tunc; quibus invideas, si lividulus sis.
Templorum quoque maiestas praesentior, et vox
Nocte fere media, mediamque audita per urbem,
Litore ab oceani Gallis venientibus, et Dîs
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam praestare solebat,
Fictilis et nullo violatus Iupiter auro.
Illa domi natas, nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt: hos lignum stabat in usus,
Annosam si forte nucem deiecerat Eurus.
At nunc divitibus coenandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur
Unguenta atque rosae, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, et magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, et Mauro obscurior Indus,
Et quos deposuit Nabataeo bellua saltu,
Iam nimios, capitique graves. Hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis. Nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus. Ergo superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat, et res
Despicit exiguas. Adeo nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessellae, nec calculus ex hac
Materia: quin ipsa manubria cultellorum
Ossea. Non tamen his ulla unquam opsonia fiunt
Rancidula, aut ideo peior gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, et pygargus,
Et Scythicae volucres, et phoenicopterus ingens,
Et Gaetulus oryx, hebeti lautissima ferro
Caeditur, et tota sonat ulmea coena Subura.
Nec frustum capreae subducere, nec latus Afrae
Novit avis noster tirunculus, ac rudis omni
Tempore, et exiguae furtis imbutus ofellae.
Plebeios calices, et paucis assibus emtos

Porriget incultus puer, atque a frigore tutus:
Non Prhyx, aut Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit et magno. Cum posces, posce Latine.
Idem habitus cunctis, tonsi, rectique capilli,
Atque hodie tantum propter convivia pexi.
Pastoris duri hic est filius, ille bubulci.
Suspirat longo non visam tempore matrem,
Et casulam et notos tristis desiderat haedos
Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris,
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit.
Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit:
Namque una atque eadem est vini patria atque ministri.
  Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam cessare diem: non fenoris ulla
Mentio, nec, prima si luce egressa, reverti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor.
Protenus ante meum, quicquid dolet, exue limen:
Pone domum, et servos, et quicquid frangitur illis,
Aut perit: ingratos ante omnia pone sodales.
  Interea Megalesiacae spectacula mappae
Idaeum solemne colunt, similisque triumpho
Praeda caballorum praetor sedet, ac, mihi pace
Immensae nimiaeque licet si dicere plebis,
Totam hodie Romam circus capit, et fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam, si deficeret, moestam attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus. Spectent invenes, quos clamor, et audax
Sponsio, quos cultae decet adsedisse puellae:
Spectent hoc nuptae iuxta recubante marito,
Quod pudeat narrasse aliquem praesentibus ipsis.
Nostra bibat vernum contracta cuticula solem,
Effugiatque togam. Iam nunc in balnea, salva
Fronte, licet vadas, quamquam solida hora supersit
Ad sextam. Facere hoc non possis quinque diebus
Continuis, quia sunt talis quoque taedia vitae
Magna. Voluptates commendat rarior usus.

SATYRA XIV.

Plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra,
Et nitidis maculam haesuram figentia rebus,
Quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
Si damnosa senem iuvat alea, ludit et haeres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec melius de se cuiquam sperare propinquo
Concedet iuvenis, qui radere tubera terrae,
Boletum condire, et eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,
Et cana monstrante gula. Cum septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto coenare paratu
Semper, et a magna non degenerare culina.
Mitem animum, et mores modicis erroribus aequos,
Praecipit, atque animas servorum et corpora nostra
Materia constare putat, paribusque elementis;
An saevire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, et nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris ac Polyphemus?
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.
Quid suadet iuveni laetus stridore catenae,
Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer
Rusticus? . . . .
. . . . . velocius et citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeunt animos auctoribus. Unus et alter
Forsitan haec spernant iuvenes, quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit praecordia Titan:

Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpae.
Abstineas igitur damnandis. Huius enim vel
Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus; et Catilinam
Quocumque in populo videas, quocumque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.
Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
Intra quae puer est. Procul hinc, procul inde puellae
Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos:
Sed peccaturo obstet tibi filius infans.
Nam si quid dignum Censoris fecerit ira
Quandoque, et similem tibi se non corpore tantum,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, et qui
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum, et castigabis acerbo
Clamore, ac post haec tabulas mutare parabis.
Unde tibi frontem libertatemque parentis,
Cum facias peiora senex, vacuumque cerebro
Iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quaerat?
  Hospite venturo, cessabit nemo tuorum.
Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela;
Hic leve argentum, vasa aspera tergeat alter;
Vox domini furit instantis, virgamque tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore foeda canino
Atria displiceant oculis venientis amici,
Ne perfusa luto sit porticus; et tamen uno
Semodio scobis haec emendat servulus unus.
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Aspiciat sine labe domum, vitioque carentem?
Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, et quibus hunc tu
Moribus instituas. Serpente ciconia pullos
Nutrit, et inventa per devia rura lacerta:

Illi eadem sumtis quaerunt animalia pinnis.
Vultur iumento, et canibus, crucibusque relictis,
Ad foetus properat, partemque cadaveris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, et se
Pascentis, propria cum iam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream, famulae Iovis, et generosae
In saltu venantur aves: hinc praeda cubili
Ponitur: inde autem, cum se matura levarit
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primum praedam rupto gustaverat ovo.
  Aedificator erat Cetronius, et modo curvo
Littore Caietae, summa nunc Tiburis arce,
Nunc Praenestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, graecis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunae atque Herculis aedem;
Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Cetronius, imminuit rem,
Fregit opes: nec parva tamen mensura relictae
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
  Quidam sortiti metuentem sabbata pàtrem,
Nil praeter nubes, et coeli numen adorant;
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox et praeputia ponunt:
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt, et servant, ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti:
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux
Ignava, et partem vitae non attigit ullam.
  Sponte tamen iuvenes imitantur cetera: solam
Inviti quoque avaritiam exercere iubentur.
Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,
Cum sit triste habitu, vultuque et veste severum.
Nec dubie, tanquam frugi, laudatur avarus,
Tanquam parcus homo, et rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens, aut Ponticus. Adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat acquirendi

Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocumque modo, maioraque fiunt
Incude assidua, semperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat: iuvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, et eidem incumbere sectae.
Sunt quaedam vitiorum elementa: his protenus illos
Imbuit, et cogit minimas ediscere sordes.
Mox acquirendi docet insatiabile votum.
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet unquam
Mucida caerulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri; nec non differre in tempora coenae
Alterius, conchem aestivam cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putrique siluro,
Filaque sectivi numerata includere porri.
Invitatus ad haec aliquis de ponte negabit.
Sed quo divitias haec per tormenta coactas,
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egentis vivere fato?
Interea pleno cum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit;
Et minus hanc optat, qui non habet. Ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,
Et proferre libet fines; maiorque videtur,
Et melior vicina seges: mercaris et hanc, et
Arbusta, et densa montem qui canet oliva.
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, lassoque famelica collo,
Iumenta ad virides huius mittentur aristas;
Nec prius inde domum, quam tota novalia saevos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix possis, quam multi talia plorent,
Et quot venales iniuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quam foedae buccina famae?
Quid nocet haec? inquit. Tunicam mihi malo lupini,
Quam si me toto laudet vicinia pago,
Exigui ruris paucissima farra secantem.

Scilicet et morbis, et debilitate carebis,
Et luctum et curam effugies, et tempora vitae
Longa tibi post haec fato meliore dabuntur;
Si tantum culti solus possederis agri,
Quantum sub Tatio populus romanus arabat.
Mox etiam fractis aetate, ac punica passis
Proelia, vel Pyrrhum immanem, gladiosque Molossos,
Tandem pro multis vix iugera bina dabantur
Vulneribus. Merces ea sanguinis atque laboris
Nullis visa unquam meritis minor, aut ingratae
Curta fides patriae. Saturabat glebula talis
Patrem ipsum, turbamque casae, qua foeta iacebat
Uxor et infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini; sed magnis fratribus horum
A scrobe, vel sulco redeuntibus, altera coena
Amplior, et grandes fumabant pultibus ollae.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
Inde fere scelerum causae, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur saepius ullum
Humanae mentis vitium, quam saeva cupido
Indomiti census. Nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quae reverentia legum,
Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?
Vivite contenti casulis et collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat et Hernicus olim,
Vestinusque senex; panem quaeramus aratro,
Qui satis est mensis: laudant hoc numina ruris,
Quorum ope et auxilio, gratae post munus aristae,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi; qui submovet Euros
Pellibus inversis. Peregrina ignotaque nobis
Ad scelus atque nefas, quaecumque est, purpura ducit.
  Haec illi veteres praecepta minoribus: at nunc
Post finem auctumni media de nocte supinum
Clamosus iuvenem pater excitat: Accipe ceras,
Scribe, puer, vigila, causas age, perlege rubras
Maiorum leges, aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo, naresque pilosas
Annotet, et grandes miretur Laelius alas.

Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat: aut, longos castrorum ferre labores
Si piget, et trepidum solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares, quod vendere possis
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Ullius subeant ablegandae Tiberim ultra:
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta, et corium. Lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Dìs atque ipso Iove digna, poëtae:
Unde habeas, quaerit nemo; sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae:
Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae.
Talibus instantem monitis quemcumque parentem
Sic possem affari: Dic, o vanissime, quis te
Festinare iubet? meliorem praesto magistro
Discipulum. Securus abi: vinceris, ut Aiax
Praeteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum teneris. Nondum implevere medullas
Maturae mala nequitiae. Cum pectere barbam
Coeperit, et longi mucronem admittere cultri,
Falsus erit testis, vendet periuria summa
Exigua, et Cereris tangens aramque pedemque.
Elatam iam crede nurum, si limina vestra
Mortifera cum dote subit. Quibus illa premetur
Per somnum digitis! nam quae terraque marique
Acquirenda putas, brevior via conferet illi.
Nullus enim magni sceleris labor. Haec ego nunquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi.
Mentis causa malae tamen est, et origo penes te.
Nam quisquis magni census praecepit amorem,
Et laevo monitu pueros producit avaros,
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, et totas effundit habenas
Curriculo: quem si revoces, subsistere nescit,
Et te contemto rapitur, metisque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi.
Cum dicis iuveni, stultum, qui donet amico,

Qui paupertatem levet, attollatque propinqui;
Et spoliare doces, et circumscribere, et omni
Crimine divitias acquirere, quarum amor in te,
Quantus erat patriae Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, si Graecia vera, Menoeceus;
In quorum sulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis nascuntur, et horrida bella capessunt
Continuo, tanquam et tubicen surrexerit una.
Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
Flagrantem late, et rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
  Nota mathematicis genesis tua: sed grave tardas
Expectare colus. Morieris stamine nondum
Abrupto. Iam nunc obstas, et vota moraris:
Iam torquet iuvenem longa et cervina senectus.
Ocyus Archigenen quaere, atque eme, quod Mithridates
Composuit, si vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare rosas. Medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat et pater et rex.
Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla aequare queas Praetoris pulpita lauti,
Si spectes, quanto capitis discrimine constent
Incrementa domus, aerata multus in arca
Fiscus, et ad vigilem ponendi Castora nummi,
Ex quo Mars Ultor galeam quoque perdidit, et res
Non potuit servare suas. Ergo omnia Florae
Et Cereris, licet, et Cybeles aulaea relinquas:
Tanto maiores humana negotia ludi.
  An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique solet rectum descendere funem;
Quam tu, Corycia semper qui puppe moraris,
Atque habitas, Coro semper tollendus et Austro,
Perditus, ac vilis sacci mercator olentis:
Qui gaudes pingue antiquae de littore Cretae
Passum, et municipes Iovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia planta
Victum illa mercede parat, brumamque famemque
Illa reste cavet: tu propter mille talenta,
Et centum villas temerarius. Aspice portus,

Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum est iam
In pelago: veniet classis, quocumque vocarit
Spes lucri, nec Carpathium, Gaetulaque tantum
Aequora transiliet: sed longe Calpe relicta,
Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.
Grande operae pretium est, ut tenso folle reverti
Inde domum possis, tumidaque superbus aluta,
Oceani monstra, et iuvenes vidisse marinos.
Non unus mentes agitat furor. Ille sororis
In manibus vultu Eumenidum terretur et igni:
Hic bove percusso mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum. Parcat tunicis licet atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus, et tabula distinguitur unda:
Cum sit causa mali tanti, et discriminis huius,
Concisum argentum in titulos faciesque minutas.
Occurrunt nubes et fulgura. Solvite funem,
Frumenti dominus clamat, piperisque coëmti;
Nil color hic coeli, nil fascia nigra minatur;
Aestivum tonat. Infelix, hac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, et zonam laeva morsuque tenebit.
Sed cuius votis modo non suffecerat aurum,
Quod Tagus, et rutila volvit Pactolus arena,
Frigida sufficient velantes inguina panni,
Exiguusque cibus, mersa rate naufragus assem
Dum rogat, et picta se tempestate tuetur.
Tantis parta malis, cura maiore metuque
Servantur. Misera est magni custodia census.
Dispositis praedives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,
Atque ebore, et lata testudine. Dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis aequanda pericula rebus.
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,

Nos facimus, Fortuna, Deam. Mensura tamen quae
Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis, atque fames, et frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates.
Nunquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te claudere. Misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam,
Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.
Haec quoque si rugam trahit, extenditque labellum;
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum implevi gremium, si panditur ultra:
Nec Croesi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiae Narcissi,
Indulsit Caesar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperiis, uxorem occidere iussus.

INDEX